

transseam, hæc in qua conterminos pellimus, furtoque vicini cespitem nostro solo affodimus, ut qui latissime rura metatus fuerit, utraq; fines exegerit accolas, quota terrarum parte gaudeat? vel cum ad mensuram auaritia sua propagauerit, quam tandem portionem eius defunctus obtineat?

Mediam esse mundi terram. CAP. LXXIX.

Mediam esse mundi* totius haud dubijs constat argumētis, sed clarissime æquinoctij paribus horis. Nā nisi in medio esset, æquales dies noctesq; haberi non posse depræhenderunt et dioptra, q̄ vel maxime id cōfirmant: cū æquinoctiali tēpore ex eadem linea ortus occasusq; cernatur, & solstitialis exortus per suam lineam, brumalisque occasus. Quæ accidere nullo modo possent, nisi in centro sita esset.

De siderum ortus inæqualitate, & de eclipsi, & vbi, & quare. CAP. LXX.

Tres autē circuli supradictis zonis implexi, inæqualitates tēporum distinguunt: Solstitialis à parte signiferi excelsissima nobis, ad septētrionalē plagā versus, contraq; ad alium poliū brumalis, itē medio ambitu signiferi orbis incedēs æquinoctialis. Reliquorum, q̄ miramur, causa in ipsius terræ figura est, quā globo similitē, & cū ea aquas, isdem intelligitur argumentis. Sic enim fit haud dubie, vt nobis septentrionalis plagæ sidera nunq̄ occidant, contra meridiana nunq̄ orientur: rursusq; hæc illis non cernantur, attollente se contra medios visus terrarū globo. Septentriones non cernit Troglodytice & cōfinis Aegyptus: nec Canopum Italia, & quem vocant Berenices crinem, item quem sub diuo Augusto cognominauere Caesaris thronon, insignes ibi stellas: adeoq; manifesto assurgens fastigium curuatur, vt Canopus quartam fere partem signi vnus supra terram eminare Alexandria intuentibus uideatur: eadem à Rhodo terram quodāmodo ipsam stringere: in Ponto omnino non cernatur, vbi maxime sublimis septentrio. Idem à Rhodo absconditur, magisq; Alexandria: in Arabia Nouembri mense prima vigilia occultus, secunda se ostendit: in Meroe solstitio vesperi paulisper apparet, paucisq; ante exortum Arcturi diebus pariter cum die cernitur. Nauigantiū hæc maxime cursus depræhēdunt, in alia aduerso, in alia prono mari, subitoq; conspicuis, atq; vt è freto emergētibus, quæ in anfractu pile latuere, sideribus. Neq; enī (vt dixere aliqui) mundus hoc polo excelsiore se attollit: aut undiq; cernerentur hæc sidera. verū hæc eadē quibusq; proximis sublimiora creditur, eademq; demersa longinquis. vtq; nunc sublimis in deiectu positus videtur hic vertex, sic in illam terræ deuexitatē trāgressis, illa se attollunt, residentibus quæ hic excelsa fuerant, quod nisi in figura pile accidere non posset. Ideoq; defectus solis ac lunæ vespertinos orientis incola nō sentiunt, nec matutinos ad occasum habitantes: meridia nos uero sæpius. Nobili apud Arbela magni Alexandri victoria, luna defecisse noctis secūda hora prodita

est: eademq; in Sicilia exoriens. Solis defectum, Vipsanio et Fonteio COSS. qui fuere ante paucos annos, factum pridie Calendas Maias, Campania hora diei inter septimam & octauam sensit: Corbulo dux in Armenia inter horam diei decimam & vndecimam prodidit visum, circuitu globi alia alijs detegente & occultante. Quod si plana esset terra, simul omnia apparerent cunctis, noctesq; non fierent inæquales: neque alijs quàm in medio sitis paria duodecim horarum interualla cernerentur, quæ nunc in omni parte simili modo congruunt.

Quæ ratio diurnæ lucis in terris. CAP. LXXI.

Deo nec nox diesq; quæuis eadem toto orbe simul est, oppositu globi noctē aut ambitu diē afferente.

Inter multa hoc cognitum experimentis. In Africa Hispaniaq; turrium Annibalis: in Asia vero propter piraticos terrores, simili specularum præsidio excitato: in quibus prænunciatiuos ignes sexta hora diei accēfos, sæpe compertum est, tertia noctis à tergo vltimis visos. Eiusdem Alexandri cursor Philonides, ex Sicyone Elin mille & ducenta stadia nouem diei confecit horis: indeq; quamuis decliui itinere, tertia noctis hora remensus est. Causa, quod eunti cum sole iter erat, eundem remeans obuium contrario præteruertebat occursum. Quæ de causa ad occasum nauigantes, quamuis breuissimo die, vincunt spatia nocturnæ nauigationis, vt solem ipsum comitantes.

Gnomonica de eadem re, & horologio

primo. CAP. LXXII.

Versusq; horoscopa nō vbiq; eidem sunt vsui, in trecentis stadijs, aut ut longissime in quingenis, mutātib; semet vmbri. Solis itaq; umbilici (quem gnomonē appellant) umbra, in Aegypto meridiano tēpore, æquinoctij die, paulo plus q̄ dimidiam gnomonis mensuram efficit. In urbe Roma nona pars gnomonis deest umbra. in oppido Ancona superest quintatrigesima. In parte Italia quæ Venetia appellatur, eisdem horis umbra gnomoni par fit.

Vbi & quando nullæ vmbra. CAP. LXXIII.

Simili modo tradūt in Syene oppido, quod est supra Alexandria quinq; milibus stadiorū, solstitij die medio nullam umbram iaci: puteumq; eius experimēti gratia factum, totum illuminari. Ex quo apparere tum solem illi loco supra verticē esse: quod et in India supra flumen Hypasin fieri tēpore eodem Onesicritus scripsit. Constatq; in Berenice urbe Troglodytarum, et inde stadijs quatuor milibus d. ccc. xx. in eadem gente Ptolemaide oppido, quod in margine rubri maris ad primos elephantorum venatus conditum est, hoc idem ante solstitiū xlv. diebus, totidemq; postea fieri, & per eos xc. dies in meridiem vmbra iaci. Rursus in Meroe insula, quæ est caput gentis Aethiopum, & quinque milibus stadiorum à Syene in amne Nilo habitatur, bis anno absumi vmbra, sole duodeuicesimam tauri partem, & quartamdecimam leonis obtinente. In India gēte Oretum mons est Ma-

*totius terram haud

illius obli-
v. in quibus
sup. n. ab
quili. men
hui. ortu
-o. abscob
onsoc

cinnyqpi

10

20

30

40

50

alio loco

* nunc non in

* prænu-
cios

umbrae
mutantibus

sup

* vmbrae fo-
lis. Itaq;

ro

leus